



LAURENTIJ AMICO
HISPANO-REGALIUM EXERCITUUM
MEDICI CONSULTORIS
PRÆLECTIO ACADEMICA;

*Quâ, fœtum, simul ac in utero materno concipitur, anima
rationali informari, obfirmatur:*

HABITA

In alma Granatensi Universitate

Dominice

Annuæ Studiorum instauratiōnis.



Granatæ, Typis Nicolai Moreno 1770.
Superiorum Facultate,

+
LAURENTII ANNO
HIBRINO REGALIUM EXERCITUM
MEDICI CONSULTORIS
LETTICO VOCALIZICO
G. V. L. A. T. I. A. H.

Nihil enim tantum esse malum hominibus arbitror,
quantum est opinio falsa, in his videlicet rebus,
de quibus praesens a nobis sermo est institutus.
Gorg. Platon. vel de Rhetic. l. 24.

Centurie. T. viii. Niccolò Melano 1470.

Scimus quoniam

ILLmo. ARCHIEPISCOPO
GRANATENSI,
D.D. PETRO ANTONIO
BARROETA, ET ANGEL
SACRÆ, REGIÆ MAJESTATIS A CONSILIJS,
ET
CÆSAREÆ UNIVERSITATIS
MAGNO PROTECTORI
HUMILLIMUS CLIENS,
LAURENTIUS AMICÓ,
S. P.



On diu steti , cui magis , quam
Tibi , Antistes Præclarissime ,
hanc opellam supplex com-
mendarem : Inter tot ethicas
tui animi virtutes (quas tuo
jubente pudore producere abstineo) non
altera excelsior supereminet , quam chari-
tas , & in pauperes miseratio : Quantus es .

in hac virtute , nemo est , qui non de-
prædicet , nemo est , qui non fateatur;

Vox diversa sonat, populorum vox tamen una,
Pauperum cum verus diceris esse Pater.

Non est , neque unus , qui ad Te acce-
dit , vel nudus , vel famelicus , vel afflic-
tus , qui non lætus , qui non satur , qui
non vestitus , qui non redeat consolatus:
Omnia pauperibus largitus , & pro pau-
peribus (sit fas dicere) Tu ipse pauper es
effectus : Si ergò pauperum , ♂ misera-
bilium personarum curam paternam gerere
divino jure teneris docente Tridentino (a)
uti animarum Pastor ; sicuti exactissime
geris ; Quis , amabò , nonnatis pauperior,
& miserabilior ? Hi non solum exteriori-
bus bonis omnino carent , sed etiam in
spiritualibus eorum indigentia extrema est,
ac planè singularis. Si Pupillis opem ferre
præcipimur , quanto magis pro parvulis
laborare debemus ? (ajebat Augustin (b))

(a) Sess. 23. de Reform. c. 1.

(b) De peccat. merit. l.3. c. 13.

qui destitutores , & miseriores pupilli
etiam sub parentibus remanebunt , si eis Christi
gratia denegabitur , quam per se ipsi flagi-
tare non possunt . Hoc est , videlicet , fa-
lus pusillorum , (res seria) meæ oratio-
nis argumentum : Non modus dicendi ,
non scriptoris auctoritas est perpendenda ,
sed materiæ utilitas est consulenda : Si
hanc , Pijssime Præsul , fovebis opinio-
nem , si tuis Parochis commendata m in-
culcabis ; spero futurum , ut quām plu-
rimi tenelli fœtus (abortibus coercitis) bo-
nis non corporalibus tantùm , sed spiri-
tualibus , Deo annuente , non spolientur .
Expectationem imple , & me tibi , quum
propensione voluntatis , tum obsequio de-
bito eum habe , quo non alter devinctior .
Vale .

Dat. Granat. Kal. Decemb.
M.DCC.LXX.

1516

Der Glauber-Kal-Denkcap.
Pius curtus Ispes, dico neum sicut gavincio,
Daboculione Alopaeus, sum optedius de-
Ephesius iunctum iatope, ac me iupi, dum
Tansilios. Dco sunnenc, non iopogentur.
Hie non coriolanis ratiunc, neq; ibi-
lioni cœilli iorcius (apostipus certior) po-
nuntur, si tuis Pauscias conuictus in-
fusca, Pilgrimis Bratii, facie opini-
tum, plebeis nelliis cis coelulatuas. Si
non tenebrosis negotiis cif pectaculatuas
dis significatum. Non uofas dicimur
gessate non possum. Hoc es, videlicet, si
les pulchiorum, (ies tertia) mæs oratio-

DAR Glasses, K-91-Dccesup.

W.DCC.TXZ

NOS D. PETRUS ANTONIUS
Barroeta, & Angel, Dei, & Sanctæ
Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Gra-
natensis, Regiusque Consiliarius &c.

ADMONITIO AD PAROCHOS HUJUS NOSTRAE
Archidioecesis.

Cum academicam istam prælectionem à Dre. D. Lau-
rentio Amico in hoc totius Granatensis Regni Ly-
ceo recitaram, & nobis commendatam, perlegerimus;
summoperè arrisit opinio, quæ ab initio conceptionis
fœtum anima rationali informari, & ex virili generatio-
ne statim concipi hominem, substinet, ac propugnat: nos-
trumque refricavit memoriam, quia plurimis ab hinc an-
nis admodum placuit, necdùm quia validis fixa rationi-
bus, & non contemnendis fulcita authoritatibus; verùm
etiam quia summè utilis semper nobis vissā fuerit. Hac
enim in suum gregem sparsa opinione à nostris Paro-
chis, forsè compescetur tanta abortuum strages, & fre-
quentia, quam quotidie Sathanas inferre, consuevit; tot
miseris parvulis sine Sacro baptismate decedentibus. Plu-
res enim pravæ conscientiæ primis diebus, & for-
sán mensibus, fœtum non esse animatum inconcussè
credentes, nòn tanti faciunt aborsus reatum, & ad illum
perpetrandum, facillimè inducuntur. Infelicium ergò par-
volorum miseratione commoti, Parochis, & animarum
Rectorib[us] hanc expellere ignorantiam, admonemus, pre-
cipimus, ac firmiter inculcamus. Ex qua probabili op-
inione, si, quo digna est assensu, amplectatur, non levia
spiritualia bona emersura fore, speramus. Fiet namque
primum, ut nemo facilè ausit, quocumque prætextu,
aborsum provocare; quippe qui de duplice homicidio,
corporali, & spirituali juremeritò accusari, posset. Alter-
um, & non minoris momenti, spiritale bonum prosi-
lit.

ut cum enim Praelector, insignium auctorum vestigia
præmepit, suadet, in primis graviditatis diebus fœtum
animari, in quocumque abortu sedulo inspiciendus est
ille, ac si, quantumvis exiguis, & imperfectissime figu-
ratus, aliquem tamè motum ostendat, illiqè sub conditione:
Si es capax baptizabitur; si vero motum non os-
tendat, & nihilo minus embrion esse dignoscatur, nec ta-
mè contusius, vel corruptus, eo sane casu, quia forte
vivit, quamvis moveri non valeat, quod organa ad
motum adhuc apta non habeat, graves Doctores bapti-
zandum sub conditione docent; atque ita nos faciendum
esse, monemus. Ad extreum, si gravida mulier inevi-
tabili causa intereat, etiam in primis mensibus à concep-
to fœtu, venter statim secabitur, atque detectus em-
brion sub prædicta forma baptizandus erit.

Cunque nostrum sit, data occasione hujus prælec-
tionis, tipis mandandæ, tenelli fœtus temporali, & eter-
næ vitæ pro viribus consulere, quadraginta dies Indul-
gentiæ concedimus legentibus ipsam, si forte inde
arripiant occasionem vitandi frequentes illas aborsiones.
Datum in nostro Archiepiscopali Palatio Granatenſi, die
sexta mensis Januarij anno millesimo septingentesimo
septuagesimo primo.

Petrus A. Archiepiscopus Granatenſis.

De mandat. Illni. Dñi. me Archiepiscopi.

D. Angelus ab Arès.

Secret.

J.



J. M. J.

QUID ! V E S T R U M O M N I U M oculos
in me conversos video ! partim conspicio mus-
sitare , partim , Catonis instar , supercilium acue-
re !

*Rector meritissime , Sapientissimi Doctores , Audi-
tores Ornatisissimi.*

Quid ! inquam , miramini fortasse , & redarguitis ,
quod ego etiam in hac Urbe novus , diverso sub cæ-
lo oriundus , hoc in præclarissimo Cæsareo Regio
Lyceo in Scenam prodeam ? Miramini , & redargui-
tis ; quod tantum in me potuit vel meimet ipsius fi-
ducia , vel gloriolæ stimulus , ut imprudentem hanc
exedram ascendere impulerint ?

Fallimini me hercule : Neutrum me vel leviter
tetigit. Impulit quoddam mihi ingenitum addiscendi de-
siderium : Impulit haec peropportuna temporis occa-
sio , ut hodiernâ die , quâ hujus Lycei jam panduntur
fores , Vobis gestiam , Vobis congratuler.

Ingemui quondam Vobiscum (Testes Vos pars
magna estis) ac vehementer condolui , quod haec Sa-
pientiae Sedes , nescio quo fato , in dies collabuerat ,
& valde timebam , ne ad extremam extinctionem .

Sed tandem aliquando alba illuxit dies , quâ CARO-
LO III REGE , Deus sospitet , Academiæ è cineribus ,
tanquam phœnices , reviviscent , resurgent in melio-

rem formam redactæ ; sit exemplum hoc Granatense Lyceum ; Carolus I. (a) construxit , temporis vicissitudines consumpsere , Carolus III exsuscitat , dat novum , meliusque Sapientiæ domicilium , non curtam librorum suppellestilem suppeditat , aperit solidiorem studijs methodum , abusus , qui paulisper irrepserunt , eradicat , & tandem virtutem præmijs allicere promittit ; vel , ut Plinij verbis ad Vespasianum Imp. utar : *Vetustis novitatem dat , novis auctoritatem , obscuris lucem , obsoletis nitorem , fastiditis gratiam , omnibus naturam , & naturæ fug omnia.* Itâ ut hæc Cæsarea Unitas floridior , quam ex cunabulis , resurgat.

Carolus extruxit , consumpsit tempus , & alter

Carolus extinctam suscitat e tumulo.

Datque novani speciem , curans , tot sœcula vivat ,

Carole , quot Nomen vivet in Orbe Tuum.

Videte Ergò , quæso , Auditores Ornatisissimi , cum sim vobis , vestræque Universitati firmiter addictus , si inculpatâ verecundiâ jure prodierim in miei animi argumentum ? Quamobrem nec amplitudo hujus loci , nec timendus aspectus yester me commovent nedum , exturbant , deterrent , verum extimulant , viresque addunt , meque ipso superiorem reddunt.

Arrepto ideò hoc plaudendi Academiæ Tempore diù steti , & hæsitaveram , quamnam provinciam aggrederer , quid differendum assumerem , quod omnium palato gratiis conveniret.

Tandem diù cogitanti occurrit summi momenti dubium : *Quoniam , scilicet , conceptionis tempore anima infundatur ?*

Hæc Quæstio nedum Physico-Medicis , nedum Jurisprudentibus est discutienda , verum & ipsis Theologis , & ipsis Canonistis. Plurimis abhinc annis invaluit opinio , quod inter conceptionem , & animationem plurimum intercederet temporis ; sed quam falsis

(a) Id. è Carolus V Imperator.

falsis innitatur principijs , quam moribus noxia est hęc opinio , & potius statim à conceptione animam infundi certius , utiliusque credendum,

Si vacat , & placidi rationem admitti is , edam. (z) Invocato prius B. V. (ut meus est mos) auxilio:

Virgo , quid sine Te ? prono succurre , precanti

Virgo fave , & timidæ dirige puppis iter.

Tu mihi præsidium , mihi lux , victoria læta;

Tu mihi eris Ductrix , Tu mihi portus eris.

Sic mihi talis contingat oratio , qualem & Materiæ dignitas , & Loci reverentia ; ac hujus spectatissimi Confessus majestas expoſcunt.

QUAM veritati sit consonum , quod Deus mundum traxit disputationi eorum (nempe hominum) ut non inveniat homo opus , quod operatus est Deus... Et quanto plus laboraverit ad querendum , tanto minus inveniet , etiam si dixerit sapiens , se nosse , non poterit reperire : uti in sacris litteris legitur. (b) QUAM sit hoc veritati consonum , non aliunde clarius poterit dignosci , non aliunde certius concipi poterit , quam ubi de homine , ejusque formatione pertractatur ; Id etenim Deus ipse in abdito artificiose confecit , velut in imis partibus terræ. (c) Unde merito Trismegistus (d) hominem magnum miraculum appellavit : Et Plato (e) Artis altissimæ specimen , Universi Archetypum , rerum omnium mensuram , & mirabilium omnium mirabile maximum. (f) Ideam D. Augustinus , quando exclamat : Miratur alia homo , cum sit ipse mirator magnum miraculum . Illius enim excellens , & spectabilis forma moribus animæ congruens , atque accommoda , status corporis cel-

(a) Juvenalis. Satyr. 1. lib. 1. (b) Eccl. 3. 11. 8. 17. (c) Ex Psalm. 139.

(d) I. e. ter maximus. (e) Sic diuus ab humerorum latitudine , natus

Athenis circa annum 429 ante I.C. (f) In Theæt.

4

celsus , atque erexit in cœlum , os sublime , omnium partium , ac totius symetria etiam ab ethniciis sunt de praedicata ; adeò ut mirari non subeat , quum regius Psalmi psalm. præcipue 138. naturam hominis preesiùs contemplatus exsuscitabatur , atque in tanti Opificis amorem exardescerat.

Sed voluit hic ipse Deus hocce conceptionis mysterium sibi soli reservasse , & Adæ filios divini operis sui admiratores ejus utilitatē solummodo persentire , non autem artificium intimè perlustrare , ac dignoscere. (a)

Pixidem nauticam hoc in Oceano perdiderunt Philosophi , diversi diversa ad libitum somniorunt ; sed ne tempus rem pretiosam inutiliter conteramus , principaliores opiniones perfunctoriè attingam , & summis labris.

Empedocles (b) ergo , Anaxagoras (c) Hyppocrates (d) Pythagoras (e) Epicurus (f) Democritus (g) una & Scotistæ cum Doctore Subtili putant ex mixtione utriusque feminis maris , nempe & foeminæ fœtum materno in utero generari , uti Lucretius cecinit;

non minolno
bominet appeto
re.

Semper enim partus duplici de semine constat.

Aristoteles (h) verò , Plato , Albertus Magnus (i) quos cum Doctore Angelico sequuntur Thomistæ , contendunt , foeminas non activè , sed tantum passivè concurrere ; seu ut clarius me explicem , foeminas pone-

(a) Theod.Craanen træst. de hom. (b) Phil: Siculus floruit circ. ann. ante J.C. 444. (c) Natus Clazomenijs urbe Asia minoris circ. ann. 500 ante J.C. (d) Insulanus Couus natus circ. ann. 460. ante J. C. (e) Samius floruit circ. ann. 540. ante J.C. (f) Atticus circ. ann. 342. ante J.C. (g) Thracius fuit Hyppocrati coætaneus. (h) Stagirita natus 384. ante J.C. (i) Cognomine patrio dictus Groot i. e. Magnus , floruit seculo XIII.

5

re materia m̄, viros virtutem plasticam communicare,
ut foetus generetur.

Plurimum temporis hujusmodi opiniones invalue-
re apud physicos, medicos, moralistas, & legales;
plurimum temporis resonuerunt in Lyceis, in Scholis
disputabantur.

Donec Recentiores (a) propter repetitas experien-
tias, dissectiones, & observationes in Cuniculis, Cer-
vis, similibusque quadrupedibus: Steno, Van-horne,
Drelincourtius, Graaff, Kerkring, Malpighi, Fabri,
Schenkius, Svvniardamius, alijque post eos innume-
rables, & propter frequentia studia Anatomiae dedi-
ti novis inventis magis ad veritatem accedentes arbit-
rati sunt, homines non aliter, quam cætera anima-
lia ex ovo gigni, & virili geniturā fæcundante: *Nul-
lum animalium genus exors est originis ab ovo.* Dicebat
Plutarchus. (b)

Et hæc opinio ex abortibus, qui post aliquot
Conceptionis dies contingunt, confirmari potest, qui
non nisi ovi figuram referunt, prout testatur Ruis-
chius, & Hyppocrates, qui Psaltriam utero gerentem
ovum abjecisse molli putamine obvolutum vidisse ob-
firmat. (c) Ita ex Bartholini testimonio Hafniensis mu-
lier verum edidit ovum, at verita, ne vulgi fabula
efficeretur, confregit illud, & confessim abjecit. (d)
Hinc non omnino fabula recensenda est, quæ de Lé-
de filijs ovo natis apud Mythologos circumfertur. Et
Cl. Malpighi: *Cum unicum sit naturæ institutum in-*
om-

(a) Harvæus Anglus aliquot diebus post coitum damarum, & cervo-
rum oīhil reperiit semenis virilis, nec foeminæ intra ipsum uterum.
*Exinde ruit veterum opinio existimantium, utriusque sexus semen
debere commiseric inter se intra arvum genitale, priusquam conceptio
fiat... Craanen-Diss. de homin. c. 62.*

(b) Sympos. 11. q. 111. (c) De natur. pueri, seu foetus text. 4.

(d) De insolit. partibus, v: Arist. 3. de gen. animal. c. 9.

omni generatione (a) Sicuti plantis, inquit, commune est ex semine prodire, ita & animalibus. Unde concludit Hoffm. Ut omne animal, ita homo etiam ex ovo producitur. Aliunde patet, quod foetus reperti sunt in tubis Fallopianis (b) ita ab inventore Fallopio dictis: & in ipsis ovulorum cellulis, testantibus Valvissnerio, Ruischio, Etmullero. (c) Insuper quod ovaria tot ovis vacua adinvenit Graaf, Ruischius, & Verhennius, quot sunt exclusi foetus, (d) & Conradus Peyerus addit, quod partibus istis castratione ademptis, aut casu, vel morbo destruētis animalia sterilescent, nec amplius concipiunt, quia simul abolentur ova, in quibus conceptum idēa speciatim delitescunt. (e)

Quam plurimas hic alias brevitatis gratiā omittorū rationes, & experimenta, præcipue quia hæc opinio tanquam certa, & inconcussa apud Jatrophisicos reputatur (f), qui præ omnibus in hâc veritate investigandâ insūdarunt.

Drelincurtius apud Batavos per observationes in viviparis huic opinioni adhæsit, super quā historicas, atque phisicas lucubrationes de foeminarum ovis scripsit, quibus nihil luculentius, nihil clarius desiderari poterit.

Harvæus apud Anglos Caroli I Archiater totum
se

(a) Ita Harvæus Ex. 63. Tozzius, Aristot. 7. de hist. animal. cap. 7.

(b) V. Schurig, Spermatolog. c. IV. §. 7. & Syllepsilog. c. V. §. 8. de conceptib. tubar. (c) V. Spermatol. ibidem §. 8. (d) V. Syllepsilog. sect. i. c. IV. §. VI. (e) Merycolog. sive de ruminant. lib. 1. c. 5.

(f) Constat jam, & pluribus accuratioribus observationibus conjectura est, verum semen muliebre extra uterum vesiculis quibusdam, vel ovaris contineri intra testes mulierum: Berger. physolog. lib. 2. c. 5. Occasione ovariorum incidit; in ejisdem latitare fœtus primordia: quam opinionem usque defendimus, donec quispiam alijs ratiocinijs, & experimentis certioribus contrarium demonstraverit. Nuckius adenograph. c. 7. & Thom. Bartholin. act. Hafn. observ. 104. inquit: De ovario in foeminis post stenonis nostris diligentiam nemo ambigit.

scidederat dissectioni damatum utero gestantium, quas
Rex suppeditabat, & nulli unquam comparandum
tractatum de generat. animalium scripsit non per ratio-
cinia philosophica, sed per experimenta tantum; sic-
que absolvisset rem egregiam omnino, cum exorta
calamitate regni omnia fuerint eversa.

¶ Malpighius tandem apud italos hoc in studio emar-
cuit. Et Antonius Vallisneri in nunquam nimis laudan-
dâ historiâ de gener. hominis, & animalis lingua Tus-
câ consignatâ cæteris omnibus hujus generis scriptori-
bus haecenus palmam præripuit.

Hisce præmissis: quis ergo vestrum non videat.
Auditores Ornatisissimi, unde error Aristotelis de tar-
dâ foetus animatione? Unde Hippocratis? si de hac
uniquam locuti fuerint, & intelligi deberent; (a) Et
pedissequorum, qui in Magistri verba iurarunt? *Aby-
sus abyssum invocat.*

Conjectabat enim Aristoteles ex mixtione utrius-
que seminis generationem fieri, & jure concludebat,
quod nonnihil temporis necesse erat, ut seminis mo-
leculæ cohærerent, ut lineamenta formarentur, ut
figuraretur embryo; hoc accidere putabat in maribus
quadragesimo die, in fæmellis octuagesimo, vel no-
nagesimo.

Hujus Philosophi placitum post Petrum Lombardum Scholasticorum Corifæum evasit commune: Etenim cum circa eam ætatem (b) introducta in Scholas
fue-

(a) Aristotel. lib. 7. de hist. animal. c. 3. scripsit: *Mares fœtus magnâ ex parte circa quadragesimum diem dextro potius latere moventur, fœmina sinistro circa nonagesimum:* Ex hoc Arist. texu deducunt opinionem de adeò tardâ fœtus animatione; sed falso, ex hoc enim tex-
tu non deducitur, fœtum non esse animatum ante prædictum tem-
pus, sed motum percipi non posse ob membrorum ineptitudinem, &
spirituum interceptionem, ut quotidiè observatur in infantilis af-
phxia correptis. De Hippocr. vide infra.

(b) Sacra. XII.

8

fuerit lectio , & explicatio librorum Aristoteliſ , qui penè unus audiebatur , ejus opinionem de adeò tarda animatione cum D. Thoma Scholaſtici omnes amplexi ſunt : Ad hæc maximè contulere libri tum de Spiritu , & animâ , tum de ecclesiasticis dogmatibus , qui eo tempore ſub Auguſtini nomine circumferebantur : At Crytici omnes cum Bellarmino neutrum eſſe Auguſtini demonſtraverunt.

Aristotelis ſententiam ſequuta eſt Glosſa cum ju-
riffis ; Omnes denique Medici , ita ut ferè universalis
eſſecta ſit , ac in eodem gradu permanerit uſque ad
annum 1640. quo Thomas Fieni Medicus Antuer-
piensis iſi bellum indixit , & in ſuam traxit opinionem
Paulum Zacchiam , licet anteā reluctantem.

Hos duces omnes ferè inſequuti ſunt Medici:
poſitâ enim ovorum opinione , quæ , uti dixi , in-
conuifia apud nos per experimenta , & anatomicas
diſectiones habetur : ovo jam per auram ſeminalem
ſecundato : quid amplius expeſtari debeat , ut ſtatim
à concepcione anima non infundatur ? Ut enim in ſe-
mine plantæ omnis planta efformata reperitur , teſte
Tertulliano , & Augustino cum omnibus ferè Recen-
tioribus Philosophis , ita & in ovo muliebri homo
eſt , & qui eſt futurus : Etiam in ovo Gallinæ com-
preſſe pullus eſt , teſtis Malpighi : Etiam in ovo ſe-
mineo germine virili intra uterum fæto homo eſt , addit
Drelincurtius : ergo ut homo ſit , oportet , ut animam
habeat.

Sed redeamus ad Aristotelem : ſcribit ipſe , maſ-
culinum fætum 40. die ; ſemineum 80. reperiſi for-
matum , & narrat , cum diſcerptis membranulis mag-
nitudine majorem formicam æquare . (a) Sed ad libi-
tum ſcripit , nam innuera experimenta , & obſer-
vationes demonſtrant , fætum non ita ſero ad mag-
ni-

magnitudinem formicæ majoris ascendere : Petrus Gassendus retulit , quod foetus 12 dierum formatus erat à summo capite usque ad pedum digitos ; moles tamen tertiae parti unius parisiensis digiti respondebat.

(a)

Cum Gassendianis concordant Kerkringi experimenta de generatione foetus , ubi dicit , vidisse foetum quatriduanum in muliere subito interemptâ graphicè lineatum , ita ut caput à cæteris membris facile distingui poterat. (b)

Severinus Pineau vidit foetum 20 dierum omnimodo perfectum , & omnibus numeris absolutum.

Franciscus Mauriceau obstetricandi Artis peritus fatetur foetus menstruos utriusque sexus servasse ad magnitudinem unguis , qui ita sua membra conspicua habebant , ut videbantur pariter , ac si essent foetus femestres. (c)

Joannes Baptista Bianchi sincerus vir primus in Taurinensi Universitate Anatomicus in suo Musæo plurimos abortivos ex omni penè graviditatis die solerissimâ exquisitione collegerat , & anno 1734 illorum historiam conscripsérat , differentiam in foetibus V quoque die observatam pro diversâ eorum ætate demonstrans. (d)

Ipse Hippocrates , quem Aristotelicæ opinionis Patronum existimant , lib. de carnib. affirmat , foetum spatio 7 dierum post conceptionem esse absolute formatum. (e)

B

Vi-

(a) Tom. 2. Physic. de genera animal. cap. de animat. foetus.

(b) Caput clare à corporis mole distinctum , & in capite quasi per nebulaum adnotata organorum puncta ; corporis autem reliqui rudiis adhuc erat , indigestaque moles.

(c) Traité des maladies de femmes grosses lib. 1. c. 4.

(d) Iḡtur quis cupidine illeactus foetuim schemata juxta veram sui magnitudinem d̄lineata videre desiderat , adeat tam illustris anatomici de naturali in humano corpore gener: historiam. (e) Text. 20.

10 Videte, ergo, quam ad libitum scripsiterit Aristoteles, quamque graviter fuerit hallucinatus, cunque eo omnes Sectatores.

Nec minus erravit, quum dixerit cum Hippocrate (a) (licet contrarium senserit Plinius) (b) marem citius, quam foemellam formari: Nam si ita se res haberet; mas, erit consequens, quod, antequam foemella, lucem videret; sed quotidiana experientia docet, gestantes nono mense indiferenter mares, vel foeminas utero deponere. Et quis nesciat, à muliere gemellos diversi sexus eodem partu in lucem effundi? Si autem simul maturuerint, ut una orientur, cur non æquè simul ad animationem idonei effecti sint? Maxime cum id non solum in mulieribus, canibus, felibus, similibusque multiparis; sed etiam in Oviparis perpetuo ritu observetur, nam cujuscumque sexus fuerint pulli in ovo inclusi mares, vel foeminæ pari tempore perficiuntur, & simul excluduntur.

Nec hilum consert Hippocratis auctoritas, cui plurimum fidunt Theologi, Canonistæ, & Jurisperiti; Dubius enim hâc super re semper extitit: licet enī Hippocrates lib. de nat. puer. (c) dicat, marem spatio 30 dierum, foeminae vero 42 dierum formari. Ipsi tamen Hippocrates, uti suprà dixi, lib. de carnivibus, inquit: Porro vita hominis septem dierum est, & in septem diebus habet, quæcumque corpus habere debet adducitque experimenta à se facta in abortivis meretricum. (d) Et in historia supradictâ de abortu Psaltria cl-

(a) Lib. de natur. puer. text. 13. 14.

(b) Lib. de histor. naturali 7. c. 4. (c) Vid. supr.

(d) Mirari autem quis posset, quomodo id sciā. Veram multa ego vidē hoc modo: Meretrices publicæ... conceptum intrā se perdunt: Postquam autem jam prædictus est, elabitur, velut ceruncula. Hanc corniculam in aqua conjectam si conspicatus consideraveris, omnia membra habere repieres, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum.

11

clarissimè addit , respirationis usum habuisse , quamquam sexto die à prægnatione contigerit ; en ejus verba fideliter à græco idiomate translata : : In cuius medio tenue quiddam extabat , quod mihi umbilicus esse videbatur , & sanc per illum spiritum intus , & exerà ducere : hoc est inspirare , & respirare , quod quidem non sine motu systoles , atque diastoles , & consequenter non sine manifesta vitâ in embryo fiebat.

Hinc clarè videtur Hippocrates Hippocrati adverari ; non aliud ergo credendum cum Martiano in commentarijs illustri , quod librum de natur. puer. in juventute edidit , de carnib. vero librum in senectute , uti stylus utriusque declarat. (a) Et per varia experimenta in totâ suâ longævitate factâ sententiam variare potuisse , & sesemnet retractasse.

Advertendum etiam Hippocratem de foetus animatione nil penitus missitasse , sed tantum de corporis compleimento , & articulatione , nempe quia animam in materiâ , & ex materiâ esse volebat : si quis non credat , animam animq; ammiscri demens est. (b)

Theologi , ergo , Canonistq; , juris-periti (concludam cum Cl. Bianchi (c)) nec Medicorum , praterquam reverè scientium , & reverà anatomicorum sententijs fidant , nisi velint res sibi imponi , vel ineptiores illis , quæ de ingressu animq; in masculinum humanum corpus post 30 conceptu dies , in fæmineum post 40.

Paulus Zacchias Romanus ambidexter Scriptor medium in Medicinâ , verum in utroque jure celebris in primo sui operis Tom. communeim illius temporis (d) amplexatus fuerat opinionem , quæ foetus animationem à conceptu differebat.

B 2

At

(a) In not. ad Hipp. lib. de carnib. n. 216. (b) Lib. 1. de diæt. tex. 22.
(c) Lib. 5. c. (d) Edidit 1. lib. qq. Medic. Legal. ann. 1621. apud Jacobum Mascardu Romę.

At in Tom. 2. qui posthūmus est, (a) primodicta revocavit, Retentiorum opinioni adhuc, ita gravia credens rationum momenta, quibus eorum sententia statuitur, ut sibi persuadeat de eādem non amplius esse ambigendum. (b) Et inter cæteras rationes, & argumenta unum desumit ab intemeratâ Conceptione B. M. V. non equidem contemnendum. (c)
 Die VIII Decembris celebratur à Catholicâ Ecclesiâ festum Conceptionis Immaculatæ V: ex divinâ revelatione à D. Anselmo examinatâ, atque probatâ. Intelligitur conceptio formalis; hoc est: primum animationis instans, ut Alexander VII declaravit: (d) Materialis enim conceptio, uti Theologi dicunt, non esset festi ecclesiastici objecum.

Die VIII Septembris ab eādem Ecclesiâ celebra-
tur festivitas nativitatis ipsius B. V. ex antiquissimâ traditione: Quid clariùs? Inter diem VIII Decembr. & inter diem VIII Septembr. novem mērē menses excurrunt, quod est communē tempus, quod intercedit inter conceptum foetus, & ortum.

Si ergo Ecclesia stetisset Scholasticorum opinionis, vel mense Februarij festum Immaculatæ Conceptionis celebrari decrevisset, vel dicendum fore, Virginem in suæ Matris ventre undecim, vel duodecim mēsib⁹ permansiſſe.

Quid vobis videtur, Auditores Ornatisſimi, hoc argumentum? Hesitatis adhuc? Creditisne hoc ipsum miraculo deputari, sicut in Christi conceptu? Ne quidem: Redemptoris enim generatio, ut potest divinisſimi Spiritus opus, prodigiosa fuit in omnibus. (e) At Mariæ generatio naturæ ordinem sequuta. est. (f)

Ad-

(a) Ann. 1661 editus, & Alex. VII. dicatus. (b) Lib. 1. tit. 2. q. 9. n. 24.

(c) Tom. 2. lib. IX. tit. 1. q. ultim. n. 135. (d) Constitut. Sollicitudo.

(e) Basil. Hom. de human. Christ. gener. S. Joan. Damasc. de fid. orthod. c. 2. (f) D. Thom. p. 3. l. sum. q. 27. art. 2. ad 4.

Addite , quod in hâc ultimâ oporteret miraculum istud ratiocinijs adstruere , non verò tantum supponere ad vim argumenti eludendam.

Retorqueamus orationem : *In iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me mater mea :* dicit Regius Psaltes. (a) De peccato originali hic locus est intelligendus : Itâ S. Athanasius , S. Chrysostom. S. Hyeronim. S. Augustin. ac patrem alij omnes : Favent Hebr. Syr. Arab. : *In iniquitate conceptus sum :* Hebr. Chald. S. Hyeronim. : *in peccato :* S. Ambrosius : (b) *In iniquitate concipimus :* Qui ergo in iniquitate concipimus , nempe cum labore originali , si anima post 40 , vel 80 dies à conceptione infunditur ? Non , nisi concipitur homo , nempe ex animâ , & corpore compositus , uti clare exclamat Job : *Pereat nox , in quâ dictum est , conceptus est homo.* (c) Quandonam incipit peccatum originale ? In ipsa conceptione , & primâ animæ infusione in corpus : docet Angelicus Doctor. (d) Quandonam dicitur mulier concipere ? Cum semen muliebre (melius dicam , ovum) apprehendit semen virile . Ergo ut facilius intelligamus nos in iniquitate concipi , nempe cum peccato originali , abs re non erit autumare , statim à conceptione , vel in ipsa conceptione nulla temporis intercedente animam infundi.

Papæ ! Video in me , meamque opinionem minutabundos insurgere legales , Theologos , Canonistas , plenis buccis objcientes , hanc recentiorum opinionem nedum bullas Pontificias , PPm. auctoritates , sed & ipsam S. Scripturam conculcare.

Sed bonâ pace auscultent , & pacato animo : Verum est , bene novi , quod Exodo legitur (e) . juxta versionem 70. *Siquis percusserit mulierem in utero haben-*

(a) Psalm. L. v. VI. (b) Apolog. cap. 11. (c) Cap. 3. v. 3. (d) I. 2. q. 8. art. 1. ad 4. (e) Exod. 21. 22.

bentem, & abortiverit, si formatum fuerit, det animam pro anima; si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia. Sed aliter legitur in nostrâ vulgatâ, quæ est communiter admissa, neque ita discrepat ab hebraico, ubi notavit Cl. Calmet: Legitur enim: Si abortivum quidem fuerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damnatio, quantum maritus mulieris voluerit, & arbitri iudicaverint; si autem mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima. Ubi non distinguitur inter abortivum animalium, & inanimatum; sed solum inter Matrem verberibus occilam, vel superstitem.

Hinc Fl. Jotephus Judeus Scriptor, qui leges, & veteris testamenti documenta ad unguem callebat, ait. (a) Qui mulierem uterum gerentem calce percussit, siquidem mulier abortiat, pecunia mulctetur à fundicibus, quod corrupto fœtu populum uno cive diminuerit; & aliam præterea pecuniam det marito mulieris. Quod si illa moriatur, & ipse det pœnas capite, quandoquidem vitam pro vita reponi justum est.

Instabit quis: Hanc distinctionem formati, & informati foetus reperiri admittam in Decreto Gratiani, (b) & ex S. Augustin. qq. veter. & novi testament. cap. 23.

Hujusmodi instantia, & auctoritas quid pondoris habere primâ fronte videtur, sed si chrytices ventilabro cernemus, in auras evanescet.

Quoad enim Decretorum librum à Gratiano Monacho Benedictino compilatum (c) omnes Canonistæ benè notunt, vim legis non habere; cum ipse Gratianus auctoritatem canonis condeendi non haberit; Ideo Gratiani librum, tamquam legalem non authenticavit Gregorius XIII.

Quoad

(a) Lib. 4. antiquit. Iudaic. (b) C. VIII. Non est homicida, qui abortum procurat, antiquam anima corporis sit infusa.

(c) Ann. 1150.

Quoad verò D. Augustini auctoritatem à Gratiano ad portatam (a) sciendum , quod hodiè indubitatum est , Auctorem qq. veter. & novi testament. non esse Augustinum : Ita sanè Maurini Patres , & jure monuerunt. (b) Enim vero Auctor ait , se scribere 300 anno post Hyerosolymitanum excidium , cum Augustinus eo tempore non nisi annum 16 aetatis numeraret , & pro comperto habeatur , cum tractatus Ecclesiasticos ante baptismum , quod annos natus 33 maturâ juventute suscepit , non conscripsisse.

Neque Possidius in indice Librorum Praeceptoris sui de illo meminit , neque Augustinus ipse in libro retractationum.

Insuper Auctori qq. veter. & nov. testam. multi contra sanam doctrinam errores exciderunt , quos inter Melchisedechum esse Spiritum S. afferuit , aliaque habet , Alexandro teste , (c) barbara , & dura ; qua propter Bellarminus (d) afferere non dubitavit : *Librum non esse Augustini , sed alicujus Heretici* ; Et à stylo , & circumstantiâ temporis , quo scriptus est , Hilario Diacono Luciferani schismatis olim Propagatori adscribendum esse non leviter conjectavit .

Sed nè auctoritatis vim effugere videat , Dò , quod 70 Versio , à quâ vulgata recedit , benè se habeat : quid inde ? *Formatum , & informatum* , quod apud 70 legitur , non denotat animatum , & inanimatum , sed tantum perfectum , & imperfectum , quam interpretationem sequi videtur idem D. Augustin.

(a) Cap. IX. Moyses : *Moyses tradidit , si quis percussicerit mulierem in utero habentem , & abortiverit , si formatum fuerit , det animam proximam ; si autem informatum fuerit , multetur pecunia ; ut probaret non esse animam ante formatam , &c.*

(b) In monit. & censur. Doct. Lovan. præfix. l.4. op. S. Aug.

(c) Sect. 4. c. 6. art. 14.

(d) De Script. Eccles. in Ambros. & August.

tin. quæst. in Exodum. (a) Opere sine dubio Augustiniano , & anno 419 conscripto. Abortivi enim et si animati , imò & quadrimestres rectè appellari possunt non perfecti , ac propterea si exierint , non vitales.

Hinc auctori abortus minor imponitur pæna , ut dissimili modo plectatur , qui hominis plenè formati , atque verisimilius victuri occisor est , quam qui vitam tuborientem parvulis aufert , qui et si vivi , et si animati vitam precariò possidere videntur. (b)

Quapropter in Cap. X. quod incipit , sicuti (c) cuius verba à S. Hyeronimo sunt mutuata , non dicitur imperfectum sc̄etum carere animâ , sed hominem non reputari.

Atque ea ratione multi quidem ex juristis tradiderunt , non inferendam esse capit is pænam propter abortus sc̄etum V mense minorum : uti Michael Boudevyns animadvertisit (d) iūra , inquiens , in foro fori , sicut explicat Torreblanca , de tam tenui animatione non loquuntur..... sed animatione perfectâ , quâ infans maturus est ad nascendum , uti tradunt Thesaurus , Suarez , Piazza , Menochius , Gomez. Id etiam placuit Rejes , Carpzovio , & Villepando cum alijs:

Et

(a) Si ergo illud informe pauperium jam quidem fuit , sed abduc quodammodo informiter animatum ; (quoniam de Animi quæstio non est præcipitanda indiscutibile sententia) ideo ex volunt ad homicidium pertinere , quia nondum dici potest anima viva in eo corpore , quod sensu caret. q.80. & in Gratian. Decret. ante capitul. Moyses.

(b) Hoc conforme videtur Constit. Carolin. ex Carol. V. ordin. Crim. art. 133. Juri Saxonico electoral. constit. novell. p. IV. c. 4. §. 1. Juri Prussic. novis. p III. tit. 6. art. 7. §. 2. Juri communi juxta leg. Cornel. de Sicar. l. 8. Et tandem ipsis nostris patribus legib. 7. Partit. Jur. leg. 8. tit. 8.

(c) Sicut semina paulatim firmentur in uteris , & tandem non reputatur homo , donec elementa confecta suas Imagines , membraque suscipiant , &c. Ad Algar. q. 4,

(d) Ventilabri. Medic. Theolog. p.1. q.26.

Et Zacchias addit , (a) primis temporibus prægnationem existimari dubiam , & ubi de pænis agitur , lex inquit : *In dubijs , quod minimum est , sequimur.* (b) Fœtu verò adulto non solum fieri certam , sed et ipsam Matris vitam in abortu periclitari , (c) quapropter veluti duplex homicidium esse reputandum. Huc alludit illud D. Hyeronimi (d) : *No nullus cum senserint concepisse de scelere , abortui venena meditantur , & frequenter ipsæ commortuæ trium criminum Reg ad inferos perducuntur : Homicidij sui ; Christi adulterij , nec dum nati filij parricidij.*

Nec officiunt Bullæ Pontificum , & decretales: licet enim Innocentius III in cap. *Sicut de homicidio*: (e) distinguat inter pænas abortus fœtus vivificati , & non : Item Sixtus V (licet statuat contra utrumque excommunicationem) (f) quam Sixti bullam mitigavit Gregorius XIV. (g) & Clemens denique VIII eadem distinctione usus est.

Non officiunt , inquam , Pontificum enim mens non fuit , statuere animam non immediate post conceptionem infundi , sed tantum illi supponunt , dari fœtum , qui non sit animatus : Leges enim solent in rebus ad philosophiam , vel medicinam , aliasque humanas facultates pertinentibus communiori sensu Doctorum , qui eas profitentur , sese accommoda-

C

re.

(a) Lib. 9. tit. 1. q. ul. n. 119. (b) Ibidem n. 117. (c) Ibid. n. 118.

(d) Ad Eustoch. de custod. virgin.

(e) Cap. XX. *Nos vero devotioni vestra insinuatione presentium respondamus , quod si nondum erat vivificatus conceptus , ministrare possebit , alioquin debet ab altaris officio abstinere.*

(f) Kal. Novembr. 1588. Pontificat. sui ann. 4. Sixtus V hanc controversiam p̄ oculis videtur habuisse , cum eamdem decreverit p̄nam , sive animatus fuerit fœtus , sive inanimatus , hanc distinctionis subtilitatem despiciens ad mentem D. Basilij , & inquis omne effugium intercepturus.

(g) Die 31 Maj. an. 1591.

re. (a) Quum verò prædictæ bullæ manarent ; Medici, ac Philosophi penè omnes Aristotelici erant , uti supra retuli ; Nam Fienus , & Zacchias , qui controversiam exsuscitarunt , sunt omnibus illis constitutionibus posteriores ; Inde factum est , ut ijdem Pontifices omnium vestigia calcantes hâc sint usi distinctione foetus animati , & inanimati , diversamque inflixerunt pænam , credentes , quod foetus tenelli ante quadragesimum diem saltem animati dici non possent ; maximè cum interdum ante prægnationis progresum de ipsâ non immerito sit dubitandum ; & in dubijs , juxta legem , quod minimum est , sunt securi . (b) Itaque præfate bullæ , & sacræ penitentiariæ stylus , etiæ æquitatem commendabiles , philosophis tamen veritatis accuratius investigandæ viam non præcluserunt.

His rationibus , & momentis adducti Recentiores Philosophi , atque Medici maximo numero Zacchiaæ opinioni adhaerunt : Quos inter Fortunatus Fidelis , Bartholomæus Corte , Gaspar Bravo , Vaterus , Horstius , Heßrenefer , Museus , Gælicke , Teychmeyerus , Chaventever , Thomasius , Planerns , Braune , Stahil , Durrius , Bohinus , Mauriceau , aliquæ ferè innumeri , quorum catalogum citat Cl. Michael Alberti Borussic Regis Archiatæ . (c) Nec tam satis Philosophis , & Medicis Zachiaæ sententia placuit , sed plerisque è Theologis , & præcipue Christiano Lupo , (d) Natali Alexandro , (e) Hyeronimo Florentinio , (f) & Antonio Rodriguez . (g) Plazza (h) quoque , Cor-

si-

(a) Zacch. ibid. n. 115. Rodriguez nuevo aspecto de Theol. medic. moral paradox. I. & IV.

(b) Cæterum , uti Doctores animadvertisunt , non idem est querere de animationis tempore ad abortus puniendos , ac de eodem querere ad abortivos baptizandos . (c) In Phisolog. c. de gener. & in jurispr. med. c. 7. de animat. foetus . (d) Tom. 12. in Apol. de ov. fæc. & exam. fortal. (e) Tom. 1. Theol. Moral. lib. 4. c. 7. art. 4. reg. 15.

(f) De Baptism. abortiv. (g) Ut supr. Paradox. 4. (h) Caus. Ima-
mac. Concept. act. 3. art. 2.

Antis. (a) aliquie in hanc novam non obscure propenderunt opinionem.

Sed animadversione dignum operæprætium existimo, quod licet hanc Recentiorum opinionem novę opinionis nomine toto meç anteactæ Prælectionis studio adpellitaverim, ut ab Aristotelis opinione apud nos jam antiquatā distinguerem, tamen si vetusta Patrum, & Philosophorum exemplaria nocturnā, diurnāque manu versabimus clare adinveniemus, quod antiquam habuerit originem.

Partim enim quia animam ex traduce propagari (b) cum Tertulliano credebant, uti omnes ferè Occidentales, teste S. Hyeronimo; partim, quia sui tabernaculi Architectam credebat, in primis conceptio-
nis vestibulis animam posuere.

Profectò S. Basilius (c) nolebat inter foctum animalium, & inanimatum distingui: *Formati autem, vel informis subtilitas à nobis non attenditur*: (d) Unde hoc autem? nisi quia verissimum à principio animam infundi credebat.

Is erat, Norisio teste, (e) Græcorum omnium sensus. Idem sentiebat Sanctus Cœsarius. (f)

Citantur etiam pro hac sententiâ S. Cyrillus Alexandrinus, (g) & S. Gelasius Papa. (h)

Similia dixit Nicetas choniates Græcus, (i) qui sæculo XIII claruit: *Nullum commune dogma super questione istâ, inquiens, vel ab Apostolis, vel ab ullis alijs SS. PPbus. accepimus: Subjungens aliquos PPes. patavisse: Semen animari, cum primum in uterum re-*

(a) Instit. Phil. tom. 4. tract. 1. disp. 3. c. 9. n. 9. (b) In hoc non laudo.
 (c) Floruit IV. sæculo. (d) In sua celebr. ad Amphiloch. canonico epist. (e) In vindic. August. c. 4. §. 3. (f) Lib. 6. Dialog. 3. in respons. ad interrog. 145. (g) Floruit V. sæcul. lib. 1. in Joann. c. 9.
 (h) Lib. de duab. natur. contr. Eutich. & Nestor.

(i) In Thesaur. Orthodox. fidei lib. 1. c. 74. pag. 91. tom. 25. Bibliot.
 M.M. P.P.

nit, ita ut partium neutra, (scilicet anima, & corpus) compositionem aut precedat, aut subsequatur.

Ideem putaverunt, teste eodem Niceta, Græcorum sapientum Nonnulli: (a) Ideem nonnulli Philosophorum, quos inter Alexander Aphrodiseus (b) celebris Aristotelis Commentator: Themistius, (c) & antiquus Auctor libri nomen Galeni præferentis, (d) quorum omnium verba, & genuina testimonia transcribere abstineo, ne prolixius profluat Oratio.

Si ergo tot, & tot illustres Sapientes nostræ opinionis fuere suffragatores, & olim, quo communiter putabatur, hominem ex commixtione utriusque seminis actione virtutis plasticæ effungi: Quæ res satis dissuadebat, ne citius in humano fœtu rationalis anima admitteretur, quoniam concedendum esset virtuti plasticæ tempus, quo transmutationem, formationemque moliretur: Quam fortiori ratione hodie, quò illuminatus vivimus ævum, (e) credendum! cuim per repetitas experientias, & solidiora ratiocinia comprehendimus; In ovis muliebribus, quæ analoga sunt vegetabilium seminibus, omnes Embryonis partes præexistere, quanvis in seipsis quodadmodò involutas. (f)

Videte ergo, queso, si in meæ Prælectionis vestibulo audacter pronuntiaverim, certius credendam, statim à conceptione animam infundi.

Sed hæc omnia momenta, & quæ possem adducere pro Recentiorum sententiâ libenter omitto, Auditores ornatissimi, si tantum mecum considerare veli-

(a) Græcorum Sapientum nonnullis Embryonis, sed imperfectos in utero fœtus statim ab illa informi sua forma placuit animari. Nicet. ibid.

(b) Floruit sœcul. III. (c) Floruit sœcul. IV. lib. de Anim. c. 12.

(d) Lib. an Animal sit id, quod in utero est. c. 4.

(e) Quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ scientie aditus largius aperitur. S. Greg. Magn. apud Moren. defin. concept. p. 3. (f) Vid. Bianchi de naturali generat. histor.

sitis, quantum damni, quantum moribus noxia, quo
ve abusus secum trahat dubia, seu erronea Aristotelis
opinio de tardâ foetus animatione, & quantum è con-
trâ utilitatis ex sententiâ de citâ animatione possit ema-
nare. Accipite.

Mulier furtim utero gerens falsâ imbuta opinio-
ne, quod foetus etiam bimestris non sit animatus,
omnem movet lapidem, ut pro suo tutando honore
abortiat, facilius primis mensibus consequitur, ger-
men è nido exturbat, & inexaminatum, si forsitan
vixit, in latrinas projicit, in sterquilinijs operit suibus,
proh dolor! canibusque devorandum.

Ipsæ deliræ anus, ipse malesuadæ Obstetrics, cir-
cumforanei, Agyrtæ, & licentiosi Pseudo-Medentes
suam ministrant operam, credentes, non abortum,
sed fluxiones, cum Aristotele, provocare, quas
politici concedit, propterea à Patribus, præsertim Ter-
tulliano, reprehensus.

Ipsæ Matres, & honestæ Mulieres putantes primis
temporibus foetum animâ carere, précautiones ad il-
lum conservandum opportunas, ac si unquam, alias
tum maxime necessarias non solum persæpe negligunt,
sed & aperte contemnunt. Quò fit, ut primis gesta-
tionis mensibus, uti quotidiana docer experientia, fre-
quentissimi sint abortus.

Ex hâc firmâ, sed falsâ credulitate alterum ma-
lum, & non minoris momenti procedit, nimisrum
abortu eveniente, Præsentes, qui Matri assistunt, foetui
nequaquam attendunt tenello, inanimem ex no-
cuâ Aristotelis opinione credunt, & tamquam offam
sanguineam despiciunt. Quis hæc fabulas non crederet?
Sed ni vestrâ patientiâ abuti timerem, millenas histo-
rias, heù nimis verissimas, referre possem in praxi
medica obvias, & parochis quotidianas.

Quâ super re fortiter querebatur Eruditissimus, &
Pijssimus Roncaglia: (a) *Quos foetus abortivos, inquiens,*

ex

(a) T. 2. tract. 17. c. 4. in reg. pro praxi.

ex ignorantia obstetricum, & Matrum excipit latrina, quorum anima, si baptismate non fraudaretur, Deum in eternum videret, & corpus, licet informe, esset decentius tumulandum. Sed quibus, addit, potissimum sub gravi culpâ competit hanc expellere ignorantiam? Nonne Parochi?

Et quidem si Parochi, & animarum Pastores accurate populum suum admonerent, satis probabile esse, foetus animationem fieri temporis momento conceptionem sequente, ac proinde, ubi abortus evenerit, in eo principaliorem curam esse statuendam; observando, scilicet, quam attentissime, utrum embryo, quamvis mole minimus, vita donatus appareat, ut ne baptismate cogitetur: Quanti abortus evitarentur; haec enim inducta opinio pravas mulieres, quae abortum praetextu nedum factae animationis facillime procurant, facillime deterretur. Et quanti foetus sacro baptismati lavacro, & Dei visione non fraudarentur!

Postquam enim de Aristotelis opinione cæptum est dubitari: Plerique Theologi docuerunt, nullum abortivum, et si imperfectissime figuratum esse derelinquendum; sed perquirendum, utrum siquid vitae indicium in eo insit, ut saltē sub conditione baptizetur: (a) Sic sentit Cl. Maximilianus Dezza, (b) Sic

Cl.

(a) Monitum. Modus baptizandi abortivos minimos hic est. Baptizandus est, quamvis adhuc secundinis involutus sub conditione, se es capax, ne tempus absumamus cum periculo ejus mortis, donec secundinus separatur: Quæ conditio, se es capax, respicit æquè tam dubium animationis, & vitæ, quam dubium, ne baptismati validati obstant secundinæ; quo facto aperiantur secundinæ ipse, & iterum baptizetur sub duplice conditione: Si es capax, & si non es baptizatus; & hoc fieri debet in aliqua patina, vel cyatho aqua pleno. Vid. Roncaglia t. 2. tract. 17. de baptis. c. 4. q. 4. resp. 3. & t. 1. tract. 11. de V decalog. præcept. c. 2. q. 3. resp. 1.

(b) In Opusc. in calc. Apolog. Franc. Verde pro Caramuel.

Cl. Cardenas , (a) qui Dezzae sententiani stabilissimo fundamento superstructam declarat ; sic meminit La croix : (b) sic Piazza , (c) sic P. Deodatus à Cuneo ; sic eruditissimus Roncaglia , (d) & inter nostrates sic eruditissimi Monachi Rodriguez , (e) & Feijgo . (f)

Sed ultrà omnes Hyeronimus Florentinus (g) Vir aquè doctus , & Zelo animarum incensus in suo per celebri de hominib. dubijs , sive de baptismo abortiro rum opusculo . (h) In cuius censurâ Parisiensis facultas Theologica hanc Florentinij doctrinam indubitatam appellat : Et collegia nostra Salmaticensia Hispaniarum Episcopos exhortantur : Prædictam propositionem esse uju recipiendam , & sequendam in praxi .

Episcopi , & Archiepiscopi Siculi ferè omnes il lustres nedum doctrinâ , verum & Zelo Pastores per edicta hanc sententiam , & hujus sententiae praxin iuis Parochis aliquot ab hinc annis unanimiter inculcarunt : (i)

Videte , ergo , quæso , si audacter pronuntiaverim utilius credendum , statim à conceptione animam infundi !

Utique , Sapientissimi Auditores , hanc causam sedulò perpendite ; vestro iudicio , vestro examini humillimè submitto : Res . seria agitur , Videte , ne contemnatis unum ex his pusillis . (k) Vestro studio , vestrâ charitate , vestris rationibus , & auctoritate hanc moribus utilissimam sententiam fovete , in populum spar gatur : Sic innumeri coercentur abortus : sic innumeris Innocentibus non denegaretur baptismus : Et Hye ru-

(a) In prim. Chrys. disput. 14. c. 3. (b) Lib. 6. p. 1. de Baptis. dub. 4. n. 294. (c) De Immaculat. V. concept. Panorm. ann. 1747. edito.

(d) Vid. supr. (e) Lib. sup. cit. paradox. IV. (f) Theatr. Critic. t. 8. discurs. 11. (g) Congregationis Lucensis à Matre Dei , cuius erant etiam Roncaglia , & Dezza . (h) Juxtà imprecision : Luca ex Typograph. Hyacint. Pacij 1666. (i) Vld. etiam Rodriguez lib. sup. cit. paradox. r. §. VIII. (k) Mathæi 18. 10.

*ruſatim celeſtis maximam partem ex Parvulis, vel Infan-
tibus arbitror (cum Petro Diacono (a)) poſſe compleri.*

Quod reliquum est Orationis, ad Vos converto, *jus
venes Dilectissimi: Euge! Ergo Tantę Matris Alum-
ni state animis, ejusque nomen, ejusque honorem
pro vestrā Patriā, pro vobis metipls omnibus nervis
iubſtinete:*

Vos, qui Eloquentiae viridaria percurritis, cura-
te, ut in vobis pro rostris Granatenibus Cicero revi-
vifcat.

Vos, qui Physics, & Mathematics disciplinis
imbuimini, arcana naturae penetralia intus discurrite.

Vos, quorum erit olim, *jus suum unicuique tri-
buere, insudate, ut*

Cedant arma togæ, concedat laurus olivæ.
Insudate: Ne cælum repetat terris Astræa relictis.

Vos Aesculapij Filij honorem Medicinæ vindicate,
quæ apud vulgus in præsens Carnificina irriforiè voca-
tatur. (b) Vosque, anquam, præcipue etiam, atque
etiam obtestor, enixè incumbatis: Ne Medicina om-
nium Artium præclarissima propter ignorantiam eorum,
qui eam exercent, & ob Vulgi ruditatem, quod tales
pro Medicis judicat, & habet, omnium Artium longe
viliſſima censeatur. Sic olim querebatur Noster Hippo-
crates: (c) Etsi hisce temporibus revivisceret Divus Se-
nix, rumperetur medius, percussus, quod Medicina
ubique contempta jacet, frigent gymnaſia, torpent Pro-
fessores, ars ipsa in ataxiam abiit, & nonnisi apud de-
liras anus, & recutitos Apellas, & eos, qui multorum
periculis experimenta faciunt, ejus usus queritur. (d)

Vos tandem, qui scientiae scientiarum incumbitis,
qui de ipso Deo pertractare, qui fidelium mores Sanc-
tæ

(a) Ap. S. Gregor. M. Dialog. lib.4. c.7. (b) Heurnius. (c) Lib. Lex.
(d) Cornatius epistol. nuncupat. ad Senat. Imperial. August. Urb.
Vindelic.

25

Æthices regulis componere debetis , diu , noctu-
que impallescite , ut tanto studio pares evadatis , sa-
nam , inviolatamque Doctrinam servate , è puris fon-
tibus bibite , fuitiles quæstiones rejcite , ne tempus rem
pteriosam non secus , ac qui cancros edunt , non sine pi-
culo conteratis ; Ut oris verbis Cl. Mabillonij. (a)

Heu Nobilissimi Iuvenes , velisque , remisque stu-
diorum curriculum inchoate ! Quid vobis , amabò,
desideratur ? Dicebat olim meus Hippocrates (b) quod:
Qui scientiam sibi verè comparare volet , eum his ducibus
viri sui compotem fieri oportet ; Naturâ , Doctrinâ , mo-
ribus generosis , loco studijs apto , institutione à puerो,
industriâ , & tempore .

Quid horum vobis desideratur , inquam ? Naturâ ,
doctrinâ , moribus generosis , loco studijs apto omnes fe-
rè nationes præcellitis : A pueris ergo instituamini ,
quod cum eo convenit , quod opportuno tempore semina in
arvum cadere oportet : Industriam ponite , quæ cultura
est , & Tempus hęc omnia corroborabit , ut perfectè enu-
triantur .

Utique Dilectissimi , tandem aliquando è desipien-
tia læthargo expurgisci tempus est .

Sic rogat Vestrum Athenæum ; quid est enim
Universitas sine alumnis ? non nisi Mater sterilis , &
infructuosa , nisi vanum , & futile nomen , nisi mutum
domicilium .

Sic rogat vestra Patria : quid est enim sine filiis
bene institutis , & litteratis ? Non nisi mutarum pecudum
habulum , & hara porcorum ;

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes ,
Emollit mores , & finit esse feros .

Sic rogat ipse noster Rex , ut sui sceptri jura ne-
dum armis , verum & litteris confidat . Quid enim ar-

D

ma

ma sine litteris? q̄irā sp̄e victoriae Dux, ut ut fortis, ac
strenuus aciem regat Martis in campo, nisi Pallas assi-
deat armata conflio? mentibus omninoque illis
Sic rogant Patrum Mages, qui nedium armis me-
tum orbi incussere, verum & litteris apud universos
admiratione afficiebantur. (a)

Sic tandem rogar ipsa tota Hispania, ne ulterius
esteræ & emulæque nationes obiciantur quod ejus Filii
in scientiarum incremento sint servum pecus, & potius
retrocedant, quam procedant: non ut illi inveniantur

Utiq[ue] Patriæ Universitatis Regis; Patrum, & Hispaniarum honorem vindicare, illorum consilijs, & precibus citò, & jucundè responderet.

Et Vos Superientissimi Caedicularum Moderatores (quos
honoris causa nomine) enixas vires exerite; obsecro,
ut Patriæ Regis, Matris desiderijs. Alumni respondant;
ut vobis in etiis digni Discipuli efficiantur, & quanto
vis vos nulla præmia alliciant, p̄ sit præmium ipsa virtus.

DIXI.

(4) *Conitac ex hitor. Hispano-Litteraria.*

THE BIRDS HAD BEEN KILLED AND EATEN AND BEGAN TO
BE FEW AND FEW. MARCHING AGAINST THE TURKS THEY WERE
KILLED.

CL. DOCTORI
D.D. LAURENTIO

AMICO,
HISPANO-REGALIUM EXERCITUUM
Medico Consulorū, II^q
ATQUE EXCMI. D.D. RICARDI WALL
Cubiculario Medico,
CARMEN.

Ergo cūmēnter ovo, nūdis indigesta quōd māssa
Corporis est vivens & sp̄itūs alius adest?
Hoc tua demonstrat Praelectionis Doctor Amico,
Quam quis non plaudat, tērque quaterque legat?
Consulit egregie Eccl̄as m̄riquis salutip̄um
Consultor Medicus grandior esse potes?
Inspicit nec Mater proficītēs germina ventris, imo
Cāmine utenormi trinita magnante gat.
Nec Medicus perdet conceptus, vincula rumpens,
Queis Nātūrālē patens, p̄ovida firmat eos.
Parochus & vigilans faciet coeleste lavacrum,
Ne desit Genitis utraque vita simul.
Integer & Iudex Infantis jura tenelli
Clariss agnoscens, proteget acer ea.
Quas Tibi nūno grates cōdignas dent, quibus inde
Utraque, ut exoptas, vita salusque datur?
Cecinit D. Franciscus de la Casa,
Theolog. ac Medic. Doct.

IN AUCTOREM,
EJUSQUE ERUDITAM
PRÆLECTIONEM
EPIGRAMMA.

Te facilem Vatem quondam mea Musa probavit;
Sed te Iatrosophum nunc mea Musa canit.
Plura tenes, faciunt quæ jam divisa beatos:
Nam Medicum doctum te probat istud opus.
Materies obscura nimis, nimiumque per ampla
Esse potest solūm viribus æqua tuis.
Omnia quām scitè, & verborū pondere monstras!
Firma hæc doctrinæ sunt monumenta tuæ.
Qui chryticè tua scripta leget, jam dicere fas est;
Vicisti antiquum prælium Aristotelis.

D. Josephus Romero;

Et Saavedra.

Philos. Magist. laurea decorat. & sūnū
prim. Medicin. Cathed. Reg.